

15

DECISIO
SACRÆ ROTÆ
ROMANÆ

C O R A M


R. P. D.

DEL OLMO

IN CAUSA

Tarraconen. Jurisdictionis.

Lunæ 10. Maij 1700.



BARCINONÆ:

Ex Typ. RAPHAELIS FIGVERÓ.

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31

15
DECISIO
SACRÆ ROTÆ
ROMANÆ

C O R A M


R. P. D.

DEL OLMO

IN CAUSA

Tarraconen. Jurisdictionis.

Lunæ 10. Maij 1700.



BARCINONÆ:

Ex Typ. RAPHAELIS FIGVERÓ.



R

EQVISITO Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ Tarraconen. per illius Reverendissimum Archiepiscopum, ut duos præeligeret Canonicos, qui cum ipso assisterent examini Testium à Promotore Fiscali præsentandorum, contra Gasparem Marti eiusdem Ecclesiæ Canonicum, eo quod lacerasset Edictum concursus ad vacantem Ecclesiam Villæ de Alexar, de mandato eiusdem Archiepiscopi affixum ad valvas Chori dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ, ubi de stylo huiusmodi Edicta affigi solent, cum idem Capitulum prætenderet memoratos duos Canonicos, non tanquam meros Assistentes, sed uti Coniudices intervenire debere, iactationis iactationum causam mihi, ex speciali commissione, delegari obtinuit; sed postmodum comperto, plures alias commissiones usque, & de annis 1590. 1616. & 1631. inter Partes expeditas, bon. mem. Manticæ, Pirovano, & Ghislerio, tunc Rotæ Auditoribus, fuisse respectivè directas, adivit Archiepiscopus Signaturam Iustitiæ, quæ cum rescripserit, ut Rota etiam quoad modum inhibendi procederet vigore antiquarum commissionum: hinc proinde, assumpta hodiè de consensu Partium disputatione super possessorio, placuit DD. manutentionem concedere Archiepiscopo in quasi possessione procedendi cum Adiunctis tanquam Assistentibus, & non Coniudicibus.

Habet enim ipse iuris assistentiam procedendi liberè, contra quascumque personas Ecclesiasticas sibi subditas, & ordinariam iurisdictionem exercendi in omnibus Ecclesijs suæ Diocesis, *ad text. in cap. omnes Basilicæ 16. quest. 7. cap. conquerente, cap. dilectus de offic. Ordin. cap. cum Episcopus eodem tit. in 6. Grat. discept. forens. cap. 270. nu. 11. Tondut. quest. benefic. cap. 61. num. 1. Solorzan. de iur. Indiar. lib. 3. cap. 14. num. 54. & seqq. Rota coram Seraph. dec. 140. in princ.*

coram Merlin. dec. 152. num. 1. coram Priol. dec. 295. num. 3. & dec. 338. num. 3. & in rec. dec. 128. num. 2. part. 11. & dec. 375. num. 1. part. 17. & in Olomucen. Iurisdictionis 13. Februarij 1688. in princip. vers. Quoniam ipse cor. bo. me. Emerix, & 10. Decembris eiusdem anni cor. R. P. D. meo Caprara, & in Gerunden. Iurisdictionis 26. Novembris 1694. §. Primo cor. eodem, & in Valentina Iurisdictionis 6. Aprilis 1699. §. Non enim cor. Reverendis. D. meo Decano; Quæ quidem iuris assistentia sufficiens est pro obtinenda mantentione in hisce materijs iurisdictionalibus, per text. in cap. Auditis 15. cap. Cum olim 18. de prescript. cap. cum Persona de privil. in 6. Postb. de manut. obser. 45. num. 7. Marefcot. var. resol. lib. 1. cap. 11. num. 5. Rota cor. Carill. dec. 126. num. 2. & cor. Zarat. dec. 10. num. 9. & in rec. dec. 128. num. 4. part. 11. & in Gerunden. Iurisdictionis 5. Martij 1692. cor. Reverendis. D. meo Decano, & in Leodien. Iurisdictionis 11. Aprilis 1698. §. Ita ex eadem cor. eodem, confirmata 18. Februarij 1699. cor. R. P. D. meo Priolo.

Concurrente potissimum actuali, & antiquissima possessione eiusdem Archiepiscopi exercendi iurisdictionem in Capitulares delinquentes, absque Adiunctis tanquam Coniudicibus, ut plenè defumitur, non solum ex processibus, & sententijs contra ipsos formatis, & respectivè latis tam ante, quam post sæcularizationem Ecclesiæ Tarraconen. ab anno nempe 1358. usque ad annum 1674. Sum. Archiepiscopi num. 7. qui actus dubio procul huiusmodi quasi possessionem plenè probant. §. Retinenda instit. de interd. Rota post Novar. ad Summ. Bullar. dec. 26. num. 12. & in rec. dec. 128. num. 6. part. 11. & dec. 375. num. 5. part. 18. & dec. 254. part. 19. & in Brixien. Iurisdictionis 15. Iunij 1688. §. Et in omnem, & §. Frustra cor. R. P. D. meo Caprara, & in Thelesna Administrationis Ecclesiæ, & Hospitalis 26. Martij 1696. §. Possessio cor. bo. me. Vrsino, & in d. Leodien. Iurisdictionis §. Potissimum cor. Reverendis. D. Decano; Sed etiam ex Bulla Benedicti XIII. super reformatione eiusdem Ecclesiæ edita usque, & de anno 1411. in qua idem Pontifex

testa-

testatur de consimili observantia, tunc usque vigente ibi: *Quia sic hæterius comperimus observatum, cui sanè Pontificis assertioni plenissimè deferendum venit, cap. si Papa de privil. in 6. Clem. litteris de probat. Rot. dec. 210. nu. 1. part. 1. rec. & in Hispalen. Precedentia 11. Ianuarij 1692. §. Nitebantur coram R. P. D. meo Caprara; Præmaximè quia cum Capitulum eandem Bullam acceptaverit, & observare promiserit, ne utiquam idcirco illius tenorem controversere potest, ex deductis per Rot. cor. Cels. dec. 323. num. 8. & in rec. dec. 209. num. 28. part. 19.*

Et indubitantius, quia præter assistentiam iuris, & actualem possessionem, concurrat etiam specialis titulus desumptus ex eadem Bulla Benedicti XIII. in qua tribuit plenariam iurisdictionem Archiepiscopo contra Canonicos, cum expressa exclusione Adiunctorum tanquam Coniudicum, eos solum assistere permittens processuum confectioni, ut modus procedendi fiat eis manifestus, ibi: *In corrigendis autem Canonorum excessibus, &c. inquisitionis processum faciendo, & testes recipiendos, duos d. Ecclesiæ teneatur vocare Canonicos, qui per Capitulum, &c. incontinenti eligantur, qui intersint, cum d. Archiepiscopus, sed eius Vicarius testes examinabit, & relati recipient confessionem, non uti Coniudices, nec aliquam iurisdictionem habentes, sed ut modus procedendi fiat eis manifestus ad omnem suspicionis materiam expellendam; quando autem possessio aliquo titulo suffulta reperitur, eò etiam facilius manutenenda est, cap. Licet causam ibique Felin. num. 9. de prob. Card. de Luca de Regal. dist. 145. num. 4. Rota decis. 254. num. 2. part. 19. recent. & in Cavallicen. Bannalitatis Furni super mantentione 5. Decembris, 1696. §. Admittebant cor. R. P. D. meo Priolo.*

Neque obstat, quod Episcopus, ex dispositione Sac. Concil. Trid. sess. 25. cap. 6. de reformat. cum quo concordat etiam ius commune in cap. Episcopus 15. quest. 7. in causis criminalibus contra Capitulares, teneatur procedere cum Adiunctis per Capitulum electis, ut testantur Saravia de Iurisdic. Adiunct. quest. 1. Solorzan. de Iur. Indiar. lib. 3. cap. 14.

§ 3

à num.

à num. 57. Pignat. consult. 164. tom. 4. Rub. in addit. ad decis. 27. num. 1. & seq. part. 3. rec. Rota cor. Mant. decis. 202. & 207. & in rec. decis. 105. part. 7. & decis. 254. part. 19. Tum quia Sacrum Concilium loquitur solum de Capitulis exemptis, non autem de omnino subiectis ordinariæ iurisdictioni, quale est Capitulum Tarraconense; Tum etiam quia illius decretum emanavit potius ad favorem Episcoporum, quam Capitulorum, nam Capitulis non exemptis huiusmodi Adiunctorum deputationem minimè concessit, & vice versa Episcopis voluit aliquo modo restituere iurisdictionem, quam ob exemptionis privilegia amiserant, relicta dumtaxat Capitulis exemptis Adiunctorum electione, ut constat ex eodem *Conc. Trid. d. cap. 6. in fin. & observat Lotter. de re benefic. lib. 1. q. 25. n. 62. Gratian. discip. for. cap. 892. n. 26. Barbof. in collect. ad Concil. dist. cap. 6. n. 3. & de Canonic. & Dignit. cap. 28. num. 2. Tondut. quest. benefic. cap. 61. sub num. 2. Fagnan. in cap. Irrefragabili §. Excessus, num. 10. de offic. ordin. & in cap. Qualiter, & quando num. 15. de accusat. Solorzan. de Iur. Indiar. lib. 3. cap. 14. num. 60. & 66. Vener. in examin. Episc. lib. 4. cap. 27. num. 1. & 4. Nicol. elucubrat. Canonic. lib. 3. tit. 39. num. 4. vers. Octavo amplia, Card. de Luca in Miscell. Eccles. disc. 24. num. 3. & in annot. ad Conc. Trid. disc. 44. num. 3. & 4. & de Canonic. & Dignit. disc. 23. num. 8. Pignat. consult. 164. num. 2. tom. 4. Rota cor. Achill. de Grassis decis. 2. de Offic. Ordinar. & in decis. 743. num. 6. part. 1. & decis. 321. part. 2. divers. ubi refert declarationem Sac. Congregationis Concilij, & cor. Seraphin. decis. 493. n. 1. & decis. 497. per totam.*

Minusque in dubium revocari potest validitas eiusdem Bullæ Benedicti XIII. ex quo ipse, uti schismaticus depositus fuerit in Concilio Constantiensi, nullæque, ac invalidæ declaratæ extiterint omnes concessiones per ipsum factæ durante schismate, ut habetur *ex sess. 38. 45. & ultima eiusdem Concilij*, & ex confirmatione Constitutionum Frederici II. Imperatoris, in §. Item d. Sancta Synodus apud Binium tom. 7. *Conc. General. p. 2. pag. 1129. & 1131. & apud Labeium tom. 12. Con. General. fol. 279. & ex Bulla Martin. V.*

sub

sub Dat. Romæ apud SS. Apostolos 15. Septembris anno 8. Pontificatus, & notant Spondan. in continuat. *Annal. Card. Baron. tom. 1. anno 1409. §. 11. pag. 714. Turit. lib. 2. in suis annal. cap. 66. Geminian. cons. 35. Rota cor. Buratt. decis. 452. num. 1. & cor. Greg. decis. 509. nu. 1. cor. Seraph. decis. 612. n. 4. & cor. Cerro decis. 587. n. 2.*

Quoniam cum d. Bulla, ut præmissum est, edita fuerit de anno 1411. utique in eodem Constantiensi Concilio revocata haud dici potest, cum omnia per eundem Pontificem gesta ante primam requisitionem, ut se à Pontificatu abstineret, per Principes factam, postquam Concilium prædictum, de anno 1414. congregatum fuerat, remanserint ab illo specialiter approbata, ut constat *ex sess. 20. §. 5. penes Binium d. tom. 7. Conc. Gener. part. 2. fol. 1080. col. 2. & penes Labeium tom. 12. Concil. General. fol. 181. & referunt Card. de Luca de feud. disc. 104. num. 19. Rota coram Coccino decis. 335. num. 4. coram Bich. decis. 267. num. 6. & seq. coram Roxas decis. 335. num. 4. & in rec. decis. 59. num. 1. part. 10. & novissimè in Verthusen. Iurisdictionis 20. Ianuarij 1697. §. Præfatis coram R. P. D. meo Pio; Nec refert, quod approbatio huiusmodi facta fuerit conditionaliter, quatenus nempe, concessiones prædictas Obtinentes extitissent, de tempore approbationis, in possessione, illæque non continerent iura, & emolumenta separata, & segregata à Dignitatibus, & Beneficijs, ut statutum legitur in eodem *Conc. d. sess. 20. §. 5.* ideoque nequaquam valuerit Archiepiscopo suffragari, ex quo non constaret tunc temporis ipsum extitisse in quasi possessione procedendi contra Canonicos sine Coniudicibus Capitularibus, & Bulla Benedicti tenderet in alienationem iuris Capitulo, & Canonicis competentis nominandi Adiunctos, qui simul procederent cum Archiepiscopo pro corrigendis excessibus Capitularium; Quandoquidem possessio iudicandi Canonicos delinquentes sine Adiunctis, longè ante approbationem prædictam remanet ex parte Archiepiscopi iustificata, tum ex antiquissimis sententijs, per ipsum latis de*

anno 1358. *Summ. illius num. 7.* tum etiam ex ipsamet Bulla Benedicti ibi: *Quia sic hactenus comperimus observatum* præsupposita verò alienatio iuris Capitulo competentis non subsistit, quia cum illi ius præfatum eligendi Coniudices non competeret, consequenter nec illud per eandem Bullam ab ipso alienatum dici potest.

Multoque minus recurri valet ad Bullam Sæcularizationis Ecclesiæ Tarraconen. secuta de anno 1530. per quam prærendit Capitulum, derogatum fuisse iurisdictioni Archiepiscopi, quam habebat in statu Regulari, eo quod ob d. Sæcularizationem, extincta remanserint omnia iura, & privilegia in eodem statu Regulari existentia, & concessa, *ad gloss. final. in cap. Abbate de verb. signif. Tiraq. tract. cessante causa in pric. num. 212. Rot. coram Bich. decis. 431. num. 21. & seqq. & coram Carr. decis. 325. num. 14. & in recent. decis. 99. num. 1. part. 7. & in Casuraugustina Iurisdictionis 13. Iulij 1692. per totam coram bon. mem. Emerix. cum etenim Clemens VII. in eadem Bulla concesserit tantummodo immutationem status Ecclesiæ de Regulari in Secularem, salva semper emissionem voti obedientiæ in manibus Archiepiscopi: indè consequitur, nullo modo per illam cēferi posse ordinariæ iurisdictioni derogatum, tum ex quo per simplicem sæcularizationem, subiectio Ecclesiæ sæcularizatæ non immutatur, ad tradita per *Innoc. in c. 2. verb. Monialium de Cappell. Monac. Rot. decis. 174. sub num. 7. in fin. vers. Non obstat. part. 1. recent.* Tum etiam ex quo cum præfata iurisdictione in d. Bulla, expressè adempta non fuerit, eidem Archiepiscopo reservata omninò cēferi debet, ut monent *Anchar. in cap. Postulasti nu. 45. vers. Quidquid de for. compet. laté Marant. part. 3. resp. 81. num. 44. Frances de Eccles. Cathedral. cap. 30. num. 129. Rot. decis. 55. num. 7. post. Tamburin. de Iur. Abbat. & in recent. decis. 324. num. 5. part. 1. & decis. 70. num. 32. part. 13. & in Brixien. Iurisdictionis 5. Iulij 1688. §. Quibus coram R. P. D. meo Caprara, & in Leodien. Iurisdictionis 11. Aprilis 1698. §. neutra in fine coram Reverendiss. D. meo Decano; Cum in huius-**

huiusmodi privilegijs semper ea interpretatio sumenda sit, per quam Ordinarij iurisdictione minus diminuatur, ad *text. in cap. Sanè 9. ubi DD. de priv. vil. Frances d. cap. 30. nu. 130. & seqq. & à num. 185. & num. 230. & seqq. Pignatell. consult. 164. num. 7. tom. 4. Rot. coram Coccin. decis. 2252. num. 77. & coram Alexand. VIII. decis. 175. num. 12. & 21. & in recent. decis. 600. nu. 10. part. 4. tom. 3. & decis. 291. n. 9. part. 5. & decis. 287. n. 23. part. 18.*

Nec relevat, quod idem Pontifex in dicta Bulla Sæcularizationis concesserit Canonicis, & Dignitatibus dictæ Ecclesiæ, quod frui possent omnibus, & singulis facultatibus, honoribus, & insignijs, quibus Toletana, Valentina, & aliæ sæculares Metropolitanæ Ecclesiæ Regnorum Hispaniæ potiuntur; ex quo arguebant Capituli Defensores, quod quemadmodum prærogativa huiusmodi eligendi Adiunctos gaudet præfata Ecclesia Valentina, vigore Sententiæ per Sedem Apostolicam in forma specifica confirmatæ, *Summ. Capituli n. 4.* illaque generaliter etiam fruuntur omnes ferè Metropolitanæ Ecclesiæ Regnorum Hispaniæ, ut testantur *Fagnan. in cap. Irrefragabili §. excessus num. 21. ibique Gonzal. num. 3. de offic. Ordinar. Cardinalis de Luca in annot. ad Sacrum Concil. Trident. disc. 44. num. 5. Solorzan. de Indiar. Governat. lib. 3. cap. 14. num. 58. & seqq. Rot. decis. 254. sub num. 19. part. 19. recent.* Ita eodem privilegio gaudere debeat Capitulum Ecclesiæ Tarraconen. Valentinæ, alijsque Metropolitanis Ecclesijs exequatæ, iuxta naturam parificationis, de qua in terminis generalibus sunt *text. in cap. 2. de priv. vil. in 6. l. omnia privilegia 33. ad fin. Cod. de Episc. & Cleric. l. ad similitudinem Cod. de Advoc. divers. Iudic. DD. in l. 1. ff. de legat. 1. Mand. in tract. de priv. vil. ad instar. quest. 4. Tamburin. de Iur. Abbat. disp. 17. quest. 5. Frances de Eccles. Cathedral. cap. 28. num. 323. & var. resol. cap. 4. num. 12. & seqq. Pignatell. consult. 1. num. 25. tom. 10. & in puncto tradit *Solorzan. de Indiar. Governat. lib. 3. cap. 14. num. 72. & seqq.**

Etenim concessio huiusmodi intelligenda est solum de prærogativis illis, quæ tendunt in honorem Ecclesiæ, & competunt

petunt Dignitatibus, & Canonicis Sæcularibus de iure communi, quæ in nihilo præiudicant iurisdictioni Ordinarij, vt firmant *Tamburin. de iur. Abbat. tom. 1. disp. 21. q. 9. n. 4. Rot. coram Mellin. decis. 48. nu. 6. & in d. Brixien. iurisdictionis 5. Iulij 1688. §. Nec in præfenti coram R. P. D. meo Caprara*; Non autem extendenda est ad privilegium, quod tollere aptum sit, ius per Bullam Benedicti Archiepiscopo quæsitum, procedendi contra Capitulares absque Coniudicibus, cum per clausulas generales communicationis facultatum, & honorum cæteris Metropolitanis Ecclesijs competentium, non censeatur Pontificem voluisse eidem iuri, absque alia expressione, derogare, ad *text. in l. 2. §. merito, ff. ne quid in loc. public. Rot. coram Cavaler. decis. 209. num. 6. & seqq. coram Gregor. decis. 47. n. 3. & 4. coram Bich. decis. 614. num. 6. & seqq. coram Duno. iun. decis. 131. n. 3. & 4. coram Merlino decis. 318. num. 7. & decis. 412. num. 3. & coram Burat. decis. 510. num. 5. & in recent. decis. 351. num. 5. part. 17. & in Ferrarien. Feudi 17. Iunij 1697. §. Validitas coram R. P. D. meo Caprara*; Quin vrgeat auctoritas *Solorzan. de Indiar. Gubernat. d. lib. 3. cap. 14. num. 72.* in obiecto allegata, quia in Bullis erectionum Ecclesiarum Cathedralium Indiarum, de quibus loquitur, communicatio facultatum non erat simpliciter restricta ad honores, & insignia, sed ulterius extendebatur ad omnia iura, consuetudines, gratias, indulta, & privilegia, quibus gaudent, & fruuntur Ecclesiæ Metropolitanæ Hispaniarum; Vnde nil mirum, si in huiusmodi verborum amplitudine, & prægnantia, Author prædictus fuit in sensu, quod sub facultatum communicatione, etiam ius deputandi Adiunctos tamquam coniudices, intelligeretur comprehensum.

Quemadmodum neque adversatur, quod in sæpèdicta Bulla Sæcularizationis, tributa fuerit Capitulo facultas condendi quæcumque statuta, & ordinationes; Quoniam cum illa restricta appareat ad statuta iusta, & honesta, quæ concernunt gubernium, & regimen prædictæ Ecclesiæ, vt constat ex eius lectura, ibi: *Quodque Capitulum prædictum pro*
fæli-

fælici, & salubri directione d. Ecclesiæ Tarraconen. quæcumque statuta, & ordinationes salubria, & honesta facere, & condere possit; ampliari per consequens non potest ad libertatem condendi statuta in præiudicium iurisdictionis Archiepiscopi, ad tradita per Butr. Abbat. & Felin. in cap. Cum omnes de Constitution. late Oliv. de for. Eccles. par. 3. quæst. 6. num. 80. & seqq. Card. de Luca de Canonic. disc. 19. num. 17. Rot. coram Coccin. decis. 307. num. 1. & decis. 613. num. 5. coram Innoc. X. decis. 679. num. 10. & in recent. decis. 32. & 76. p. 7. & in Gerunden. Capparum 27. Ianuarij 1698. §. Quamobrem cum seqq. coram R. P. D. meo Pio.

Vndè propterea nullatenus attendendum esse dixerunt DD. quoddam statutum per Capitulares conditum de anno 1540. in quo stabilitum dicebatur, vt quoad modum procedendi ab Archiepiscopo contra Canonicos, observaretur in omnibus d. Sententia lata inter Archiepiscopum, & Capitulum Ecclesiæ Valentiniæ, per quam iudicatum fuerat, quod in corrigendis excessibus Canonicorum, Capitulares tanquam Coniudices cum Archiepiscopo concurrere deberent; Quia statutum prædictum, evidenti nullitatis vitio laborat, ex defectu potestatis, cum Capitulo in eadem Bulla permissum non sit, Ordinarij potestatem hisce ordinationibus restringere, minusque illi modum decernere in procedendo contra Canonicos; nec robur recipere valet, vel ex confirmatione Pauli III. vel ex iuramento per Archiepiscopum præstito de illud perpetuò observando; non quidem ex confirmatione Pauli III. nam ea concernit decretum in Synodo Provinciali Tarraconen. editum super exclusione Alienigenarum ab Officio Vicarij Generalis, & quamvis descendat ad cætera statuta Ecclesiæ Tarraconensis, in nihilo tamen suffragatur, nedum quia facta est in forma communi, proindeque non attenditur in ijs, quæ sunt expressè iuri contraria, vt observant *Card. de Luca de Regal. disc. 2. num. 8. Rota coram Mantica. decis. 222. nu. 2. & coram Burat. decis. 6. num. 4.* sed etiam quia continet clausulam *dummodò sint*
in

in usu, qui hucusque non solum non fuit per Capitulum probatus, sed imò contrarius per Archiepiscopum demonstratus fuit, *Gratian. discept. forens. cap. 551. num. 5. Rot. in Lucana Iurisdictionis 23. Februarij 1601. coram Pamphil. impressu penes Marches. de Commis. par. 1. fol. 556. num. 9. & in rec. decis. 175. num. 22. part. 12. & decis. 331. n. 11. part. 15.* Multoque minus subsistentiam assumere valet ex iuramento per Archiepiscopum præstito, quia ultra quod cõsimili clausula dummodò tamen statuta sint in usu, dictum iuramentum vallatũ est, illud præterea conditionatè emissum legitur, *quatenus nempe dicta statuta decreto Sacri Concilij Tridentini non adversentur*, quocirca cum d. statutum à Capitularibus conditum, vt Archiepiscopus, qui solus habet plenam iurisdictionem in Canonicos delinquentes, procedere debeat cum Adiunctis Coniudicibus, sit eidem Concilio expressè adversativum in *sess. 25. de reformat. cap. 6. in fine*, iuramentum exinde, pro illius observantia per Archiepiscopum præstitum, non obligat, ad notata in puncto per *Pignatell. consul. 129. num. 36. tom. 9. Rot. coram Mantica decis. 52. num. 1. & per totam, & coram Coccin. dec. 1700. num. 8.*

Nec est, eur demùm allegari valeat asserta antiquissima consuetudo deputandi per Capitulum Adiunctos, vt simul cũ Archiepiscopo, & tanquam Coniudices assisterent in corrigendis excessibus Capitularium: Omissio etenim, quod iura omnia, quæ ad d. prætensam consuetudinem iustificandam adducta sunt, vtpotè extracta ex privato Archivio Capituli, nullam probationem contra Archiepiscopũ constituere valeant, ad firmata per *Rotam coram Seraphin. decis. 642. num. 1. coram Coccin. decis. 1867. num. 71. & seqq. Add. ad Burat. decis. 290. num. 15. & in recent. decis. 379. num. 9. & seqq. part. 13. decis. 339. num. 23. part. 15. & decis. 383. num. 4. & decis. 453. quæ loquitur in terminis istius Archivi, & decis. 628. num. 6. part. 18. & in Olomucen. Iurisdictionis 13. Februarij 1688. §. Proüt coram bon. mem. Emerix, & 10. Decembris eiusdem Anni §. Nec huiusmodi coram R. P.*

D. meo

*D. meo Caprara, & in Leodien. Iurisdictionis 11. Aprilis 1698. §. Cessantibus coram Reverendissimo Domino meo Decano; hoc rursus in illius eversionem occurrit, quod nominationes dictorum Adiunctorum factæ fuerunt à Capitulo citrà scientiam, & approbationem Archiepiscopi, contra quem proindè perperam adducuntur ad impediendam manutentionem, ex deductis per *Rotam decis. 128. num. 13. & seqq. usque ad fin. part. 11. recent.* Non relevante, quod in illis aliquando intervenerint Vicarij Generales, quia cum illorum interessentia evenerit, ex quo tunc temporis essent præfata Ecclesiæ Canonici, nullum præiudicium ex illa iurisdictioni Archiepiscopali irrogari valuit, *Rota in Gerunden. Caprarum 27. Ianuarij 1698. §. Minimè coram R. P. D. meo Pio, impressa post Antonell. de iuribus, & oneribus Clericorum decis. 41. sub n. 17.**

Præterea memoratæ Coniudicum deputationes, non solum non probantur effectuatæ, & quidem mediantibus sententijs latis cum eorum interventu, quemadmodum requiretur ad inducendam consuetudinem, & illius vigore manutentionem reportandam, vt advertit *Rota decis. 38. num. 14. coram Priolo, & in recent. decis. 421. num. 9. part. 18. & in Lucana Iurisdictionis super Beneficio Sancti Apollonij 5. Aprilis, & 28. Iunij 1688. coram bon. mem. Emerix, & in Vgentina Iurisdictionis 2. Maij 1692. §. Neque, coram Reverendissimo Hervault Archiepiscopo Turonen. vt potius contrarium ex parte Archiepiscopi remaneat iustificatum, ex tot tantisque sententijs sine prætensis Coniudicibus promulgatis, ex quibus sicuti in aperto ponitur, sæpe dictas nominationes, per contrariam observantiam, effectum omninò caruisse, ita consequitur, de illis nullam prorsus rationem habendam esse, cum actus ineffectuati, in nihilo veniant attendendi, ad text. in *leg. silendum 15. §. Qui fundum ff. qui satisfac. cogant. l. Non est mirum 26. in fin. ff. de pignor. act. Gonzal. ad regul. 8. Cancel. gloss. 45. §. 2. num. 37. Garz. de Benefic. part. 5. cap. 5. num. 67. Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 34. sub n. 4. Rota decis. 381. n. 17. part. 19. recent.**

Abf-

Absque eo, quod adversus sententias præfatas vrgere valeat oppositio, quod per Capitulum fuerit ab illis appellatum, quodque dictæ sententiæ, tanquam latæ, pendente lite, in Sacra Rota, sint nullæ, & attentatæ, ex cumulatis per *Bich. decis. 462. num. 5. & seqq. & decis. 578. num. 1. Cerr. decis. 626. num. 10.* Nam quantum ad appellationes, cum non constet, eas fuisse interpositas ex capite nullitatis, eo quia sententiæ fuissent sine Coniudicibus pronunciatæ, utique non valent illarum effectum suspendere, minusque aliquem actum exemptivum favore Capituli inducere; præsertim quia Canonici post illas interpositas, ferè semper in Causis acquieverunt, ex qua sanè acquiescentia, possessio Archiepiscopi ex illis elicita, eò magis confirmata remansit, ad sensum *Rotæ in Barchinonen. Parochialis del Prat. 13. Iunij 1695. §. Non relevat, & 2. Decembris eiusdem anni §. Innegabilis, & §. Sicque coram bon. mem. Vrsino, & in Bononien. Iuris conferendi 9. Iunij 1698. §. Haud resistantibus coram eodem, & in Gerunden. Prioratus 15. Iunij superioris anni §. fu. coram me;* Nullitas verò adversus illas inflicta, ob litis pendentiam in Sacra Rota, cessare visa est, tum quia Capitulum dictæ litis pendentiam in partibus non opposuit, *Rota decis. 178. nu. 20. part. 17. recent.* Tum etiam quia Archiepiscopus pronuncians sine Adiunctis contra Canonicos delinquentes, antiquissimam eius quasi possessionem continuavit, unde nec nulliter, nec attentatè processisse dicendum est, ex regula satis trita, quod qui continuat, non attentat, ad *Gloss. in cap. Non solum de appellat. in 6. Lancell. de attent. part. 2. cap. 4. limit. 1. num. 2. Posth. de manut. obser. v. 1. à nu. 64. & seqq. Rota coram Bichio decis. 253. num. 6. & in recent. decis. 150. num. 9. & decis. 170. num. 7. part. 19. recent.*

Neque adduci merebatur, quod Nuncius Hispaniarum revocaverit censuras latas per Archiepiscopum contra Canonicos, quia cum nec pariter constet, ex qua causa idem Nuncius processerit, an scilicet ex capite nullitatis, vel potius iniustitiæ, ac rursus nec minima mentio in eodem actu
facta

facta fuerit de non interventu Coniudicum, *Summar. Archiepiscopi num. 11.* vanum exindè remanet, eandem revocationem, tanquam secutam ex defectu interventus Adiunctorum, allegare, cum illa uti æquivoca nil ponat in esse. *Rota coram Merlin. decis. 870. num. 5. coram Gregor. decis. 405. num. 2. & in recent. decis. 181. num. 13. part. 19.*

Hoc etiam corollariè superadditò, quod ubi per malam hypotesim aliqui actus, favore Capituli assignari possent, cum attamen plures etiam concurrant ex parte Archiepiscopi, isti, in hoc iudicio manutentionis, semper forent præferendi, tanquam iuris dispositione, alijsque titulis roborati, ut notant *Innoc. in cap. Auditis sub num. 4. vers. Sed contrarium videtur de præscript. Solorzan. de Iur. Indiar. lib. 3. cap. 14. num. 65. Rota coram Cavaler. decis. 193. num. 6. coram Gregor. decis. 51. num. 2. vers. Qui cum habeant pro se, coram Priol. decis. 328. num. 18. coram Zarat. decis. 10. num. 27. & in recent. decis. 153. num. 20. part. 10. decis. 221. num. 28. part. 13. & decis. 340. num. 21. part. 15.*

Et ita utraque Parte informante &c.